



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Dialecticæ

Dieterich, Conrad

Giessæ Hessorum, 1611

De Prædicabilibus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56580](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56580)

dium, Genus est primum. Atqui hic Prædicabilium scopus est præcipuus. Alter verò eorundem scopus est, ut ex iisdem termini propositionum quarumvis judicentur: & videatur, qua quibus rectè in prædicando jungi possint. Ut quia necessario coherent Genus & Species, Differentia & Proprium: Propositiones etiam ex iisdem facta erunt necessaria: Accidens verò de subjecto non necessario, sed contingenti prædicatur, qua verba sunt Melanchthon. Dialect. libr. 1. Hunc ergo in finem non abs re, tum Prædicabilia, tum etiam Prædicamenta, tanquam necessaria & utilissima Logica Præcognita, Elementa, $\omega\epsilon\pi\alpha\iota\delta\iota\alpha\nu\ \eta\gamma\acute{\iota}\ \omega\epsilon\theta\epsilon\omicron\iota\epsilon\iota\alpha\nu$ præmittimus.]

DE PRÆDICABILIBUS.

Prædicabilia sunt tituli vocabulorum communium, qui ostendunt, quæ vocabula, quomodo aliis attribuantur.

[Dicuntur $\kappa\alpha\tau\eta\gamma\omicron\theta\acute{\epsilon}\mu\epsilon\nu\alpha$ à $\kappa\alpha\tau\eta\gamma\omicron\theta\acute{\epsilon}\omega$, quod usitate significat accuso: sumpto vocabulo à foro, in quo rotunde accusationes disertè exprimentes facti speciem (ut Verres est fur) dicebantur $\acute{\alpha}\gamma\omicron\theta\alpha\iota$ sive $\kappa\alpha\tau\eta\gamma\omicron\theta\acute{\epsilon}\iota\alpha$, commemorata sive prædicata de aliquo. Quo respectu, ad Logicam voce translata, Prædicabilia dicuntur $\kappa\alpha\tau\eta\gamma\omicron\theta\acute{\epsilon}\mu\epsilon\nu\alpha$, prædicata, quia de aliquo prædicantur, ut cum dico; Isatis est herba ad lanas tingendas necessaria, ut recipiant colores, cujus folia, figuram plantaginis referunt. Omnia hæc de Isate sunt $\kappa\alpha\tau\eta\gamma\omicron\theta\acute{\epsilon}\mu\epsilon\nu\alpha$ prædicata, commemorata. Observa tamen, hanc notationem esse nomine sive re notata angustiore, quia præcipuo prædicabilium fini non competit. Dicuntur verò etiam aliàs Universalia, quia sunt gradus vocabulorum communium.]

Sunt autem hæc: Genus; Species;

In-

Individuum; Differentia: Proprium & Accidens.

[Vulgò constituunt ex sententiâ Philippi & aliorum tantum quinque predicabilia, excluso Individuo, quod predicabilia non faciunt, eò quòd Individua de alio predicari non possint. Cum Vocabulum angustius non ponatur loco predicati: Sed angustiora predicentur & declarentur per communiora. Ideoque Individuum faciunt fundamentum seu initium predicabilium, de quo cetera predicentur. Alii addito Individuo sex constituunt predicabilia, & predicationes inde factas nominant Identicas. Nos perinde esse statuimus: Sed tamen quia speciei definitio absque individui notitiâ intelligi non potest. Ideò Individui doctrinam speciei subijcimus.]

I. GENUS

Est nomen commune multis speciebus: & prædicatur de eis in quaestione: Quid sit? ut cum queritur: Quid sit equus? respondetur: est animal.

Hic equus est species, animal est genus. Sic Libanotis (rosmarinum) est frutex. Iustitia est virtus.

Aliàs definitur Genus universale, cui species subijcitur.

Genus est vel Summum; vel Intermedium. *Generale proprium*

Summum est, cujus nullum genus est: seu, supra quod non est genus aliud. Dicitur etiam *ἡ ἀνωτάτη καὶ ἡ ἐπιγενεσιμώτατη*, genus generalissimum.

[Summa rerum genera sunt decem Categoriae siue Prædicamenta]